



SACRAE CAESARAE MAIESTATIS DECLARATIO, QUOMODO IN NEGOCIO Religionis per Imperium usq; ad definitionem Concilij generalis uiuendum sit, in Comitijs Augustanis XV. Maij, Anno M. D. XLVIII. proposita, & publicata, & ab omnibus Imperij ordinibus recepta.



Christo *Auspice,*
PLVS VLTRA.



Cum Gratia & Priuilegio Imperiali.

MOGUNTIAE,
Excudebat IVO SCHOEFFER,
Anno M. D. XLIX.

R 4^mB-1267

communiter consenserint, ac ulterius suæ Maiestati liberum permiserint, de Christianis ac conuenientibus medijs cogitare, quibus medio tempore vsq; ad finem ac determinationem Concilij omnes Status piè & pacificè simul viuere & habitare queant, ita vt nemo contra ius ac æquitatem grauetur. Et sicut sua Maiestas tunc temporis huiusmodi Statuum consensum ac remissionem clementissimo animo suscepit, ita & nunc non minus suscipit.

De negotio verò ipso remissionis, tanquam per se grauissimo, sua Maiestas hætenus paterno affectu fideliter & cum summa diligentia deliberauit, Statuumq; sententias (sicut ipsimet sciunt) exquisiuit: reque perpensa, non sine dolore animi percepit, quàm immensa incommoda huic inelytæ Nationi hætenus ex prædicto dissidio fuerint illata: quæ calamitas & perniciës ex eodem impendat, ita vt ineuitabilis necessitas expostulet pro constitutione ac conseruatione firmæ pacis, iustitiæ, unitatis, ac pro tollendis discordiarum seminibus, hanc rem vsq; ad progressum & determinationem generalis Concilij, non in præsentis statu & confusione, quasi suspensam relinquere, sed potius ad maiorem Christianam concordiam, moderationem, ac sanio rem & propiorem intellectum reducere, varijsq; ingruentibus contrarijs opinionibus amplius non conuiuere, vel committere vt per eas publica pax amplius turbetur & impediatur.

Dum igitur Maiestas sua in hoc tota est occupata, peropportunè contigit, quòd quidam viri magni status & nominis, proculdubio bono quodam zelo erga Christianam concordiam, pacem & tranquillitatem, & ex vero erga patriam amore, adiunctum hoc consilium & sententiam ipsorum suæ Maiestati proposuere, exactius discutendam tradidere, seque diligenter eam obseruatuos polliciti sunt.

Id consilium sua Maiestas nonnullis egregijs sacræ Scripturæ peritis, ac probatis Doctoribus, videndum commisit: Ex quorum relatione animaduersum est, id si

in

2
in recto Christiano sensu intelligatur, à nostra vera Catholica religione, & Ecclesiasticis doctrinis, statutis & ordinationibus, exceptis duobus articulis, Communionem sub vtraque specie, & matrimonium Sacerdotum concernentibus, non abhorre: sed ad promouendam ac impetrandam plenior, controuersæ religionis Christianæ concordiam, conseruandamq; in Sacro Imperio publicam pacem & tranquillitatem, conducere, quemadmodum & adhuc Maiest. suæ, attenta qualitate horum temporum, ita videtur: nihilq; magis in votis est, quàm vt omnes ordines sub ipsius Cæs. regimine, sicut ex officio hoc suæ Maiest. incumbit, in religione concorditer & pacificè simul viuant & conueniant.

Itaq; Maiestas sua communes Status, qui hætenus ordinationes & statuta vniuersalis Ecclesiæ obseruauerunt, requirit, clementer petens, vt & in posterum ea obseruent, constanter in ijs permaneant, perseuerent, nec desciscant, vel quicquam immutent, quod se facturos esse constanter asseruerunt. Reliquos vero Status, qui inno uationem instituerunt, pari modo Maiestas sua clementer & seridè requirit, ut uel communibus Statibus sese rursus coniungant, & cum illis in obseruatione statutorum ac cæremoniæ uniuersalis Ecclesiæ Catholicæ consentiant: uel saltem in doctrina sua & Ecclesiasticis ordinationibus cum prædicto consilio sese omnino conforment, nec ultra illud quicquam instituant, uel attentent: Et casu quo ulterius sese intromississent, per omnia sese præfato consilio & confessioni conforment, firmiterq; in eo permaneant. Et ut omnes Status, ad promotionem publicæ pacis, quietis, & unionis, prædictum scriptum pro nunc tolerant, neque illud impugnent, aut contra illud doceant, scribant, aut concionentur: Sed omnes Status vniuersalis Concilij declarationem atq; determinationem patienter & obedienter expectent.

A iij Nihilomis

Nihilominus Maiestas sua omnem diligentiam adhibebit, nihilque intentatum relinquet, quò Concilium vniuersale iuxta Statuum requisitionem quàm primum celebretur, & Germanica Natio à præsentis Schismate penitus liberetur.

Similiter & Maiestas sua iam tota in eo est occupata, vt Catholica quædam Reformatio concipiatur, in præsentibus quoque Comitibus ipsis Statibus publicanda: de qua sperandum sit, ipsam vsque ad determinationem sæpe dicti Concilij, ad tollendos abusus & scandala, atque ad plantationem & conseruationem Catholicæ disciplinæ, rationis viuendi & virtutum, non parum frugiferam esse futuram.

Et quum in sæpe nominato consilio, sub rubrica de Cæremoniis, inter alia contineatur, si quid in illis succreuerit, ex quo superstitio causari posset, vt illud tollatur, &c. Reseruat sua Maiestas sibi in eo vel alijs articulis, vbi & in quantum opus fuerit, nunc vel deinceps omni tempore potestatem conuenienter statuendi ac disponendi. Quicquid enim sua Maiestas ad promouendam Dei gloriam, ad componendam controuersam Religionem, conseruandam firmam pacem, iustitiam & tranquillitatem in sacro Imperio Germanicæ Nationis, denique ad vtilitatem & commodum communium Statuum suscipere, instituere, efficere & promouere poterit, in eo sese iuxta officium suum Imperiale cum omni clementia sese exhibet promptissimam.

DE

DE CONDICTIONE HOMINIS ANTE LAPSUM.

DEVS creauit initio hominem ad imaginem & similitudinem suam, eumque gratia ornauit, & fecit per originalem iustitiam, vt esset omnibus cum corporis tum animi viribus rectus, nec ageretur vllis turbidis & prauis motibus, Sed in eo caro spiritui, atque inferiores animi vires superioribus, quæ tantum ad bonum hortabantur, parerent.

Cum igitur animus hominis tam bene constitutus esset, reliquit eum Deus in manu consilij sui, vsque eò vt non minorem haberet vim ad eligendum bonum quàm malum.

Quod si hac libertate sua vsus fuisset rectè, & mandatis quæ ipsi Deus dederat, obedisset, bona quæ acceperat homo, atque iustitiam sibi & omni posteritati sue conseruasset, nihilque ei ac posteritati ipsius defuisset ad bene beatè viuendum: non fames, non sitis, non frigus, non æstus, non dolor, non morbus, non mors eum afflixisset: omne denique peccatum atque vicium vitasset, nec ab illis tanquàm peccatorum stipendijs, periculum ei vllum, posterisque illius allatum fuisset.

DE CONDICTIONE HO- minis lapsi.

Verum postquàm primus parens noster contra quàm mandauerat Deus, fecit, incidit in pœnam à Deo propositam, & iustitiæ originalis donum pulcherrimum amisit. Hinc carentia iustitiæ huius vnà cum vicioso concupiscentiæ habitu, quæ spiritui & superioribus animi viribus perpetuo repugnat, Quod peccatum (hoc est priuationem illius iustitiæ, qua parte rationem subditam debebat Deo, vnà cum concupiscentia) in omnem posteritatem

SACRAE CAESAREAE

Iob. 25. tatem suam propagauit, vt cum eo omnes, quotquot in hanc lucem æduntur, homines nascantur, nec eo vacuus sit vllus, ne vnus quidem diei infans, secundum scripturas.

1. Corint. 5. Hinc illud naturæ nostræ vulnus, vt animalis homo non percipiat quæ sunt Spiritus, nec eadem ante gratiam expetat, atq; libere eligat: cum concupiscentia & affectus *Roman. 5.* carnis qui in eo dominatur, inimicitia sit aduersus Deum, & à lege Dei abhorreat, tantoq; magis impediatur in bono, quanto magis ad malum impellit.

Et quanquam retinet homo talis libertatem arbitrii, licet infirmam & læsam, ex qua tanquam fonte profluunt & virtutes morales Ethnicorum, & harum actiones, tamen ante gratiam Dei & reparationem, ad iustitiam quæ coram Deo valeat, aspirare haud potest, sed est potius seruus peccati, Satanæ mancipium, inimicus Dei, & malis huius mundi obnoxius. Premitur enim fame, siti, frigore, æstu, dolore, morbo, & ad extremum morte ipsa euertitur. Per vnum enim hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.

Roman. 5. Hæ autem istius primæ præuaricationis pœnæ, renatis cum peccatoribus communes sunt: illis tamen à Deo etiam ad exercitium adhibentur, iniustis vero & impijs infliguntur ad pœnam.

Ephes. 2. Adde huc, quod in homine tali, quem peccatum originale deprauauit, quoad natura tantum constat nec per gratiam instauratur, regnat vnà cum concupiscentia praua, etiam Satan, qui eum vinculis seruitutis suæ constructum tenet, in eoq; operatur, vt conuerteretur in desiderijs suis, faciens voluntatem carnis & cogitationum, ac originale, quod à parentibus traxit, peccatum actualibus cumulet, sitq; filius iræ, secundum Apostolum, vt si in hac miserima conditione sua moriatur, iusto tandem Dei iudicio in gehennam coniectus, æternis ibi supplicijs plectatur, vbi nec ignis eius (vt apud Esaiam scriptum est) *Esai. 66.* extinguetur, nec vermis morietur.

DE

MAIEST. DECLARATIO. 4
DE REDEMPTIONE PER
Christum Dominum nostrum.

Iohan. 3. *Roman. 3.* *Ephes. 1.* Deus igitur, qui diues est in misericordia, nolens perire quos condiderat, filium suum misit in mundum, vt cum impossibile esset homini seipsum liberare, in Domino hoc nostro atq; saluatore haberet redemptionem per sanguinem eius, vt scriptum est apud Apostolum.

Posuit enim Deus super eum iniquitates nostras, vt in corpore suo peccata ferret in cruce, affigens ea in ligno. *Esai. 53.* *1. Pet. 2.* Hic cum innocens pro nobis peccatoribus pateretur atq; satisfaceret, redemit quidem nos, & Deum patrem ita placauit, vt idem Pater miseros nos, & peccatis inquinatos ob sanguinem ipsius absolueret, ac sibi reconciliaret: Verè enim (inquit Paulus) erat Deus in Christo, mundum *2. Corint. 5.* reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.

Et quanquam Deus gratuito & propter nomen suum propitius est nobis, & iniquitates nostras delet propter se, tamen ne sine vlllo satisfactionis precio peccata remitteret ad ostensionem iustitiæ suæ, pro incomprehensibili sapientia & immensa bonitate sua, iustitiam cum misericordia miscuit, & voluit vt premium pro redimendis nobis filij sui sanguine constitueretur, vt quas nos peccatores dare deberemus pœnas, eisdem agnus ille innocentissimus perferret in cruce, nosq; è vulneribus ipsius, quod nobis miseris deesset, redemptionis premium mutuari, & ad liberationem salutemq; nostram vsurpare possemus, vt cum misereatur nostri benignissimus Pater gratuito, non tamen misereatur nisi interueniente sanguine filij sui, vt quod nobis hic gratis contingit, id tamen merito ac iustitiæ Christi acceptum ferre debeamus, vt quicumq; gloriatur, in hoc Domino redemptore & saluatore nostro gloriatur.

DE IUSTIFICATIONE.

B iam

S A C R A E C A E S A R E A E

IAm qui precioso sanguine Christi redimitur, & cui meritum passionis Christi applicatur, is continuo iustificatur, hoc est, inuenit remissionem peccatorum suorum, à reatu aeternae damnationis absoluitur, & renouatur per Spiritum sanctum, atq; ita ex iniusto fit iustus. Nam Deus quando iustificat, non humano tantum more agit cum homine, vt ei ignoscat duntaxat, peccatum donet, & reum absoluat, sed facit etiam meliorem, id quod homines tribuere neq; solent neq; possunt, Communicat namq; cum illo de Spiritu suo sancto, qui purificat cor eius, & per charitatem in eodem corde diffusam incitat, vt quod bonum ac iustum est expetat, & expetitum opere ipso persequatur.

Psal. 51. Hæc est vera illa iustitiæ inherentis ratio, quam desiderabat Dauid, cum hanc mitteret vocem: Cor mundum, crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. De hac Apostolus scribit, Abluti estis, Sanctificati estis, Iustificati estis. Et cum inquit: Deum secundum suam misericordiam nos saluos fecisse per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundanter per Iesum Christum saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius hæredes simus, secundum spem vitæ aeternæ.

Matth. 5. Quanquàm autem iustitia hæc, quæ è fonte legis spiritus profluit, longè est abundantior, quàm fuit Scribarum atq; Phariseorum iustitia, tamen in ijs, qui hac præditi sunt, nihilominus concupiscentia repugnat spiritui, quoad hic viuunt: eo fit vt ijdem illi mente quidem seruiant legi Dei, carne autem legi peccati, & sine peccato non viuant.

Galat. 5. *Roman. 7.* *1. Ioan. 1.* *1. Cor. 11.* Cum igitur homo plenam iustitiæ inherentis perfectionem, quoad in hac terra viuunt, non consequatur, certè Christus, qui factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio à Deo, nobis in hac etiam parte benignissimè succurrit, quatenus & per communicationem iustitiæ suæ, iustitiam hominis de illa participantis, inherenter, vt effecit, ita auget, vt de die in diem renouetur, donec in aeterna patria plenè perficiatur, & per meritum sanguinis

MAIEST. DECLARATIO. 5

sanguinis sui preciosi, atq; iustitiam, quam constituit perfectissimam, impetrat homini indulgentiam, vt quod homo per infirmitatem suam minus potest, id per ipsius Christi perfectionem recuperetur ac condonetur. Hinc illa Ioannis consolatio, Filioli hæc scribo vobis, vt non peccetis: Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, ipse est propiciatio pro peccatis nostris.

Concurrunt quidem Christi meritum & iustitia inherens, ad quam renouamur per donum charitatis. Inherens, vt ex ea piè, iustè ac sobriè viuamus in hoc seculo, exspectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei & saluatoris nostri, Sed meritum Christi, vt sit iustitiæ nostræ inherentis causa, & ut cum in multis labamur omnes, ac propter infirmitatem imperfectionemq; nostram multa occurrant, quæ animos nostros turbare, & ad desperationem sollicitare possint, in eodem merito & precioso Christi sanguine respiremus, ac inueniamus, quo ad spem salutis firmissimè niti valeamus. Nam in Christo Iesu Domino redemptore & saluatore nostro, quem induunt pñ, & cum quo donantur eis omnia, secundum Apostolum, omnia nobis sunt firmissima, solidissima, & perfectissima, vt eisdem ipsis ad spem viuam rectè fulciamur.

DE UTILITATE ET FRUCTIBUS IUSTIFICATIONIS.

HAbent quidem iustificati pacem ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, eis namq; Deus est placatus, misericors & propitius vt sperare possint, Si cum inimici essent, Deus reconciliauerit sibi ipsos per mortem filij, multo magis futurum esse, vt reconciliati saluentur, vt verbis Apostoli, quæ consolationis plenissima sunt, vtamur.

Item, qui iustificantur, ijdem etiam adoptantur Deo filij,

SACRAE CAESAREAE

Roman. 8. ij, vt hæredes sint Patris æterni in cœlis, cohæredes autem Christi, authore Paulo, & iam habeant ius ad eundem hæreditatis illius, quæ est vita æterna.

DE MODO PER QVEM HOMO
iustificationem accipit.

Roman. 3. **E**T si Deus non ex operibus iustitiæ, quæ fecit homo, sed secundum suam misericordiam iustificat eum, idque gratis, hoc est, sine merito eius, vt si gloriari velit, in Christo tantum gloriatur, cuius solius merito redimitur à crimine, & iustificatur: tamen Deus misericors non agit hic cum homine, vt cum trunco: Sed trahit eum volentem, si adultus sit. Talis enim non accipit beneficia illa Christi, nisi præueniente gratia Dei, mens eius atque voluntas moueatur ad detestationem peccati. Nam cum peccatum separet inter Deum & nos, vt Esaias inquit, nemo ad thronum gratiæ & misericordiæ accedere potest, nisi qui prius per poenitentiam ab eodem peccato fuerit auersus. Itaque Ioannes cum præpararet viam Domino, dixit: Agite poenitentiam, appropinquat enim regnum cœlorum.

Esai. 59.
Marci 1. Mox eadem gratia diuina mouet mentem in Deum per Christum, & hic motus est fidei, per quam homo sine hæsitacione credens scripturis sanctis, & promissionibus quas eadem afferunt, assentitur. Christus enim ipse, cum primo exegisset poenitentiam, mox fidem talem requirit, inquit: Quoniam impletum est tempus, & appropinquat regnum Dei, agite poenitentiam, & credite Euangelio.

Qui ita credit, & à diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutitur, ad considerandam misericordiam Dei, & redemptionem per sanguinem Christi est conuersus, hic erigitur, & mouente gratia Dei concipit fiduciam atque spem, vt credat præter spem in spe, præter spem meriti sui,

MAIEST. DECLARATIO. 6

sui, In spe misericordiæ promissæ, tribuens gloriam Deo, *Roman. 4.* atque ita perducitur ad charitatem.

Tali in Deum fide quicumque misericordiæ diuinæ ac Christi merito innititur, seque eidem committit, accipit promissionem spiritus, & sic iustificatur per fidem in Deum, secundum scripturas, vt ei non solum remittatur peccatum, sed idem etiam sanctificetur & renouetur per Spiritum sanctum. Ea namque fides impetrat donum Spiritus sancti, quo diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ quatenus ad fidem & spem accedit, eatenus per iustitiam inhærentem verè iustificamur. Hæc enim iustitia fide, spe ac charitate ita constat, vt si aliquam harum iustitiarum huic subtraxeris, eandem ipsam mancam planè reliqueris.

DE CHARITATE ET BONIS OPERIBUS.

Charitas autem, quæ est finis præcepti, & plenitudo legis, simul ac iustificationem ingreditur, fecunda est, iamque omnium bonorum operum semina intra seipsam includit. Quæ vt parata est ferre bonos iustitiæ fructus, ita fert eos in iustificato quamprimum, & quoties debet, eique operandi facultas impedimento aliquo non adimitur. Itaque fides, quæ per dilectionem non operatur, non videtur viua, sed sterilis potius ac mortua, authore Iacobo. Quinimò homo quantalibet fide præditus, si ei desit charitas, manet in morte, vt Ioannes testatur, cum præterea charitas iam esse debeat pars vitæ æternæ in nobis inchoatæ, & tandem per glorificationem perficiendæ. Quanquam enim fides & spes desinent, cum migrauerimus in illa æterna tabernacula, charitas tamen manebit, & in eadem ipsa nobiscum introibit, vt secundum eam beatissimè viuere, ac Deo, qui tum nobis erit omnia, sempiterno æuo frui possimus, Est tamen fides nihilominus vera, qua Christiani ab infidelibus discernuntur, quatenus

B iij scripturis

SACRAE CAESAREAE

scripturis & reuelatis à Deo assentiuntur, etsi eadem à charitate disiuncta sit.

Ex hoc maximo Dei dono, quod quanto magis in nobis augetur, tanto magis vetustas carnis nostrae immittitur, quae manant tanquam è fonte bona opera ad salutem cuiusque iustificati tam necessaria sunt, ut qui ea non fecerit, cum tenetur, gratiam Dei amittat, & tanquam palmes inutilis excindatur à Christo, & in ignem proiciatur, ut Christus ipse in Euangelio suo docet.

*Ioh. 15.
Matth. 7.*

Et quanquam opera haec talia sunt, ut Deus iure quodam suo ea à nobis exigere possit, & sancti etiam, si omnia quae eis praecipita sunt, fecerint, & agnoscere & dicere debeant, se esse inutiles seruos, tamen cum ex charitate profluant, & gratiae Dei effectus sint, ac quia Deus secundum suam voluntatem operantibus mercedem liberalissimè promittit, eadem & temporalium bonorum, & aeternae vitae remuneratione dignatur, secundum Apostoli testimonium, inquit: Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim est iniustus Deus, ut obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine eius.

Hebr. 6.

Ac iustificati iam & serui facti iustitiae, membra sua exhibentes serua iustitiae ad sanctificationem, cooperante gratia bonis operibus abundant, & quanto magis eisdem abundant, tanto maiora iustitiae incrementa ipsis adiunguntur, ut qui iusti sunt, iustiores fiant. Ne verearis, inquit scriptura, iustificari ad mortem. Item, Qui iustus est iustificetur adhuc, Et qui in Christo fructuosus est, repurgatur à Patre caelesti, ut fructum copiosorem ferat, ut Christus ipse docet. Et haec est illa ex operibus iustificatio, de qua Iacobus frater Domini.

*Apoc. 22.
Iohan. 15.*

Iacobi 2.

Quod reliquum est, etsi opera à Deo mandata ut necessaria ad salutem, sunt praecipue vrgenda, iuxta illud Christi, Si vis vitam ingredi, serua mandata: Quae tamen praecipitis superaddita aut pie aut honestè suscipiuntur, ipsa etiam commendanda sunt, ne à spiritu sancto multa

MAIEST. DECLARATIO. 7

multa horum in scripturis sanctis commendante discrepamus, aliàs relinquere aut vendere omnia, & sequi Dominum: Item seruare virginitatem aut continentiam, bonum & utile non esset. Quinimò Dauid cum saltaret ante Arcam, iure fuisset irrisus à Michol, Item Paulus frustra remisisset salarium ijs, quibus verbum Dei praedicauerat.

Breuius discernenda sunt opera supererogationis, quae supra praecipitum (ut verbo Chrysostomi utamur) fiunt, ab ijs, quae contra fiunt. Haec enim Christus ipse damnat ut fermentum Phariseorum. At illa Spiritus sanctus in scripturis loquens commendat, inquit, Voluntas oris mei beneplacita fac Domine.

DE FIDUCIA REMISSIO- nis peccatorum.

Hic cauendum est, ne aut homines faciamus securos nimis, sibi que fidentes, aut anxia dubitatione in desperationem impellamus. Itaque cum Paulus dicat, Se quidem nullius peccati conscium, sed in hoc tamen non iustificatum esse, homo non potest sine dubitatione propriae infirmitatis aut indispositionis credere sibi peccata remissa esse, Sed tamen non debet se in seipso iactare, non ita tamen terrendus est, ut de promissis Dei, deque mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet, & desperet se remissionem peccatorum, & salutem consequi posse, Quin ei omnis spes & totius fiducia certitudo esse debet in precioso sanguine Christi, qui effusus est propter nos, & propter nostram salutem, in quo ipso respirare nos atque confidere & possumus certo & debemus, confirmante nos Spiritu sancto, qui dat testimonium spiritui nostro, quod simus filij Dei.

DE ECCLESIA.

Nunc

S A C R A E C A E S A R E A E

Nunc de Ecclesia, quæ est vniuersitas Christifidelium, Nagendum videtur, in quam Spiritus sanctus ita contrahit ac iungit renatos atq; Christianos, vt sint vna domus, vnum corpus, ab vno Baptismo & vna fide, quæ, authore Paulo, vna est in omnibus Christianis. Itaq; etsi necesse est vitam Christianorum, vt ad perfectum finem, quo tendit Ecclesia, peueniatur, bonam esse ac piam, nemo tamen sibi persuadeat, vllam vitæ probitatem sibi profuturam esse, nisi se huic fidelium vnitati & communioni iunxerit atq; accommodauerit: Sit igitur Ecclesia domus Dei viuentis, & corpus illud, cuius caput est Christus: Multi enim vnum corpus sumus in Christo, inquit Paulus. Pro hac Ecclesia idem Dominus noster Iesus Christus se tradidit, ut eam sanctificaret, mundans ipsam lauacro aquæ in uerbo uitæ, ut exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: Sed ut sit sancta, & immaculata. Ac cum Ecclesia unica sit illa columba, & corpus unum, certè ut hanc solam spiritu suo sanctificat, & fouet Christus: ita extra eam dona gratiæ suæ tribuit nemini. Qui igitur in communionem huius corporis non est, nihilomagis Spiritu sancto uiuificatur ad salutem æternam, quam ullum membrum naturale à corpore suo abscissum atq; auulsum ad uitam naturalem, eò quòd spiritu uitali, ab uno suo capite defluente, non amplius uegetatur. Itaq; credendum est, neminem extra Ecclesiam Christianam, & communionem eius spiritualem, uitam æternam consequi posse. Communionis autem huius eam esse rationem, ut cum spiritus Christi ab eo, ut capite delabatur in corpus suum, hoc est, Ecclesiam, & omnia membra huius permeet, singula membra percipiant ex eo, quantum sibi satis sit ad salutem, & quod singulis bonum contingit, id omnibus commodare, atq; ad eò vniuersitati ipsi consulere. Nam (ut ait Apostolus) crescunt membra in charitate per omnia in illo, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem uniuscuiusq;

MAIEST. DECLARATIO. 8

cuiusq; membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui, in charitate. In tali coniunctione atq; societate hominum est summa coniunctio, dum membra pro se inuicem sollicita sunt, & siue patitur membrum vnum, patiuntur omnia membra, siue gaudet vnum membrum, congaudent omnia membra.

Et quanquam Ecclesia, quatenus constat membris talibus, quæ secundum charitatem viuunt, Sanctorum est tantum, & eatenus spiritualis & inuisibilis, eadem tamen etiam sensibilis est, qualem Christus ipse monstrat, inquit, Dic Ecclesiæ. Ad hanc eandem pertinent Episcopi, qui regant populum, quem Christus sanguine suo acquisiuit: Pertinent alij item ministri, Dedit namq; Deus quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios pastores & Doctores. Ad ^{Ephes. 4.} hanc eandem Ecclesiam pertinet verbum Dei, quod in aures influit: Pertinent Sacramenta: pertinent clauæ ligandi atq; absoluendi: Pertinet potestas coercendi per excommunicationem: Pertinet ius ordinandi ministros Ecclesiæ: Pertinent vocationes ad munera Ecclesiastica: Pertinet deniq; ius sancienti canones. Debent autem, quæ ad sensibilem & externam Ecclesiæ partem pertinent, seruire ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Iam in Ecclesia non solum sancti, sed etiam mali, vt huius membra, licet arida, versantur. Vnde eam Christus modo reti in mare iacto, & tam bonos quàm malos pisces comprehendenti, modo agro seminato, bonas fruges & zizania simul ferenti comparat: Nam qui membra facti sunt Ecclesiæ per Baptisma, recidunt sæpe in crimina, faciuntq; se seruos peccati, atq; æternæ damnationis reos. Et quanquam gratiam communionis sanctorum & spiritualis Ecclesiæ amittunt, hærent tamen nihilominus in externa Christianorum societate atq; Ecclesia, audiunt verbum Dei, & Sacramenta capiunt, & alia item sensibilia cum Ecclesia habent communia, nisi vel per excommunicationem iustam, vel per schisma, vel

SACRAE CAESAREAE

per hæresim, vel per defectionem à fide Christiana abscondantur.

Misera est quidem conditio eorum, qui ex peccato mortali languent, & à spiritali communionem remoti, in periculo æternæ damnationis versantur. Sed quia tamen eis verbum Dei audire, & Sacramentis item uti licet, vtiliter hisce tanquam instrumentis diuinæ gratiæ in communionem Sanctorum restitui facilius possunt, præsertim cum in Ecclesia etiam externa Spiritus sanctus salutem per verbum Dei & Sacramenta operetur. Verum Schismatici, Hæretici, & à fide Christiana desciscientes, quia non solum à Spiritali, sed etiam externa Ecclesiæ societate seiuncti sunt, quamdiu in hoc calamitoso sunt statu, non habent quo possint iuuari ac recreari: Imò tanquam membra à toto Ecclesiæ corpore abscissa in suam ipsorum perniciem putrescunt, non digni, qui in vlla corporis Christi parte consistant, cuius vnitatem tam turpiter sciendunt atq; lacerant. Hinc illud Apostoli: *Hominem hæreticum post vnam & alteram admonitionem deuota, sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.*

DE NOTIS ET SIGNIS

Ecclesiæ veræ.

AC quoniam varij sunt cœtus humanæ consociationis, operæ precium est notas & signa, quibus Ecclesia ab alijs societatibus humanis discernatur, nosse: cum præsertim qui ab Ecclesia vera deficiunt Schismatici atq; Hæretici constituent suos cœtus, eisq; authoritatem & nomen Ecclesiæ adiungere non dubitent, & alij eorum alio in loco Christum esse dicant: à quibus ut caueamus nobis, Christus ipse monet. Sunt igitur signa Ecclesiæ veræ, hoc est, magnæ illius domus, in qua non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam in

Matth. 24.

2. Tim. 2.

MAIEST. DECLARATIO. 9

in honorem, quædam in contumeliam: doctrina sana, & rectus Sacramentorum vsus, quibus ab Ethnicorum & Iudæorum cœtibus Ecclesia disiungitur, quorum vtriq; & sana doctrina, & Sacramentis noui Testamenti carent. Tertium signum est vnitas, quæ vinculo charitatis & pacis continetur, ac membra Ecclesiæ ita conglutinat, ut non solum quod perpetuus sanctorum consensus ab Apostolis usq; ad nos recepit & approbavit, idem sentiant, sed etiam idem loquantur, monente Apostolo: *Obsecro autem uos per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in uobis Schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* Quartum signum Ecclesiæ veræ est, quod sit Catholica & uniuersalis, hoc est, per omnia loca & tempora diffusa, & per Apostolos, eorumq; successores continuata usq; ad nos successione, propagata usq; ad fines terræ, iuxta promissiones Dei: *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, possessionem tuam terminos terræ.* Item, *Multi uenient ab occidente & oriente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cœlorum.* Item, *Et eritis mihi testes in Hierosolima, & in omni Iudæa & Samaria, & vsq; ad ultimum terræ.* Item, *Et ego rogabo patrem, & alium paraclætum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere.*

1. Cor. 1.

Psal. 2.

Matth. 3.

Act. 1.

DE AVTHORITATE ET potestate Ecclesiæ.

C ij Et

S A C R A E C A E S A R E A E

ET si scriptura, vt Christus inquit, solui non potest, & videtur immobilis & omni humana auctoritate maior est, tamen fuit penes Ecclesiam auctoritas discernendi scripturas veras ab adulterinis. Hinc Canon scripturarum qui germanas à falsis, quæ sub nomine Apostolorum atq; discipulorum Domini obtrudebantur, disceruit.

Et vt Ecclesia huius rei auctoritatem potestatemq; habuit semper, sic etiam interpretandi, atq; adeo ex eisdem scripturis eliciendi & explanandi Dogmata. Quippe cum huic spiritus sanctus non desit, qui ipsam in omnem ducat veritatem, quemadmodum Christus ipse promisit. Hinc illud Petri, Omnis Prophetia scripturæ propria interpretatione non fit, sed spiritu sancto inspirati sic locuti sunt sancti Dei homines. Atq; hæc interpretandi potestas cum primis necessaria est, in ijs præsertim, quæ difficilia sunt intellectu, id quod res ipsa docet.

Habet præterea Ecclesia traditiones à Christo & Apostolis per manus Episcoporum adhæc vsq; tempora delatas, quas qui conuellit, is negat eandem columnam esse & firmamentum veritatis. Huius generis sunt Baptismus paruulorum & alia.

Constat item potestatem coercendi atq; excommunicandi esse penes Ecclesiam, idq; ex instituto Christi de potestate ligandi, cui consentaneum est illud Apostoli: Tollite malum ex vobis.

Habet item potestatem iurisdicendi. Nam cui competit ius coercendi, & potestas iurisdicendi deesse non potest.

Ac si quæstiones dubiæ oriantur in Ecclesia, habet quidem hæc potestatem iudicandi de eisdem atq; decernendi, idq; per Synodum. Et quod hæc in spiritu sancto legitime congregata decernit, Spiritus ipse sanctus decernere videtur, iuxta illud Concilij Hierosolymitani: Visum est spiritui sancto & nobis. Itaq; saluberrimam esse Conciliorum auctoritatem dubitare debet nemo.

Et

MAIEST. DECLARATIO. 10

Et quod ex eodem Concilio Hierosolymitano intelligitur, est etiam penes Ecclesiam potestas constituendi Canones, idq; ad vtilitatem Ecclesiæ, cuius potestas omnis est ad ædificationem, & non ad destructionem.

DE MINISTRIS ECCLESIAE.

Habet Ecclesia doctrinam diuinitus traditam, quæ populo explicanda est: habet sacra & externa, quæ pie & salubriter ad vtilitatem Christianorum tractanda sunt atq; explicanda, Quo minus ministri, qui muneribus ad has res necessarijs funguntur, eidem Ecclesiæ deesse vel possunt vel debent. At munera quidem hæc omnibus Christianis communia non sunt: verum Deus ipse initio dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Itaq; tempore Apostolorum non omnibus data fuit potestas ad functionem munerum Ecclesiæ, sed certis tantum ijsq; ad eadem ipsa segregatis. Nam cum Antiochiæ esset Barnabas, Lucius, Manahen, & Saulus, ministrantibus illis Domino (vt Lucas in Actibus Apostolorum scripsit) & ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus, Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Cauendum est igitur nobis, ne spiritale sacerdotium, quod omnibus Christianis, quos Spiritus sanctus vnxit, commune est, cum hoc externo atq; ministeriali, quod non omnium est, sed eorum tantum, qui ad hoc vocati atq; rite ordinati sunt, confundamus. Quod sine graui ac perniciosa Ecclesiarum perturbatione atq; calamitate accidere non potest.

DE PONTIFICE SVMMO
& Episcopis.

C iij Atq;

SACRAE CAESAREAE

ATq; vt Ecclesia, quæ est vnus capitis, hoc est Christi, unum corpus, eo facilius in unitate contineri posset, etsi multos habet Episcopos, qui populum eius, quem Christus precioso sanguine suo acquisit, regant, idq; iute diuino, Vnum tamen in remedium schismatis, qui cæteris omnibus præsit, cum plenitudine potestatis summum Pontificem habet, idq; pro prærogatiua Petro concessa, Quod ipsum quàm utile sit ad auertenda ab Ecclesia schismata, satis constat ijs, qui non ignorant à contemptu huius summi Sacerdotis plerunq; schismata orta esse, vt Cyprianus scribit, & res ipsa testatur. Qui igitur Cathedram Petri tenet summus Pontifex, eo iure, quod Petrus accepit à Christo dicente, Pasce oues meas, vniuersam Ecclesiam & gubernat, & gubernare debet. Qua tamen potestate sua vti debet non ad destructionem, sed ad ædificationem. Hanc autem plenitudinem potestatis sic uidetur Christus Petro eiusq; successoribus dedisse, vt reliquis Episcopis partem sollicitudinis eis commissæ non abstulerit, sed suarum Ecclesiarum & diocæsum ueros iure diuino Episcopos esse uoluerit. Debent autem Christiani omnes & Pontifici summo, & singuli suis etiam Episcopis parere, iuxta illud Apostoli, Obedite Præpositis uestris, qui uigilant pro animabus uestris.

DE SACRAMENTIS

in genere.

Sacramenta duabus potissimum de causis diuina auctoritate instituta sunt. Altera, vt sint signa & notæ quædam magnæ illius congregationis, quæ est Ecclesia, In nullum enim nomen coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum uel Sacramentorum uisibilium consortio colligentur. Quamobrem Dominus noster Iesus Christus societatem noui populi sacramentis numero paucissimis, obseruatione facilissimis, significatione præstantissimis colligauit, Baptismo uidelicet, Confirmatione, Eucharistia,

MAIEST. DECLARATIO. 11

charistia, Pœnitentia, Extrema vnctione, Ordine & Matrimonio. Altera uero est, vt non solum significant, sed etiam sanctificent & conferant inuisibilem Dei gratiam, non propria rerum externarum uirtute, aut merito ministri, sed Domini instituentis ac secretius operantis. Itaq; etsi decet bonum esse Sacramentorum ministrum, tamen malus etiam potest ea utiliter dispensare.

DE BAPTISMO.

AC primò quidem, quia homini ad salutem necessarium est, vt regenetur in nouam creaturam, cum aliàs natura sit filius iræ, instituit Christus ipse Sacramentum Baptismi, vt sit lauacrum illius nostræ regenerationis: quod sanè homini non minus est necessarium ad uitam nouam atq; spiritualem, quàm natiuitas carnalis ad uitam naturalem: Nec salutem quisquam consequi potest, nisi aqua & Spiritu sit renatus, vt Christus ipse testatur. Hoc igitur Sacramentum abluit nos, sanctificat, iustificat, hoc Sacramentum facit, vt consequamur remissionem peccatorum nostrorum, Originalis atq; actualium: hoc deniq; Sacramentum tale est omnino, tanq; salutare, vt qui eo initiatur, induat Christum, vt Paulus scribit.

Constat autem Sacramentum hoc uerbo Dei & aqua, Nam simulac uerbum ad elementum accedit, fit Sacramentum, cuius lauacro regeneramur & mundamur ab omni peccato. Itaq; quoties aquam corpus abluentem cernimus foris, toties Spiritum quem non cernimus, intus plus operari cogitemus.

Iam formam uerborum, sine quibus Mysterium hoc confici non potest, Christus Apostolis tradidit, cum præceperit, vt in nomine patris & filij & spiritus sancti baptizarent. Huic præcepto Domini, quoties Baptismus confertur, & fides accipientis, si adultus sit, pro infantibus uero cum suscipientium eos, & pro ipsis confitentium, tum totius Ecclesiæ fides, & fungentis Ministri
verbum

S A C R A E C A E S A R E A E

verbum innititur, quatenus hic ait: Ego te baptizo in nomine Patris & filij & Spiritus sancti.

Ac nobis quidem videtur ad excitandam fidem, consolationemq; adulatorum vehementer pertinere, vt intelligant, qui in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizantur, Se iam potestate, virtute & potentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti consecrari ac sanctificari, seq; totos reconciliari Deo, & iam peculium Dei fieri, qui est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, in cuius tutelam iam transeunt, seq; foedere sempiterno cum Deo iungunt, quatenus Diabolo eiusq; operibus abrenuntiant, promittuntq; se Deo militaturos.

Quod autem ad munus baptizandi attinet, etsi hoc ad Sacerdotes maximè pertinet, tamen Laicus etiam rectè & vtiliter in casu necessitatis baptizare potest. Nec, si Hereticus baptizarit, dummodo debita materia, forma ac intentione vtatur, Sacramentum hoc iterandum est, cum hoc idem non dignitate ministri, sed veritate verbi diuini, & Spiritus sancti virtute constet.

Quanquam autem baptismus aufert omnia inquinamenta nostra secundum scripturas, hic tamen non omnem viciatæ naturæ languorem aufert, vt supra etiam monuimus. Relinquit enim concupiscentiam ad malum inclinantem, reatu ipso sublato. Concupiscentia autem illa contra bonum in homine spiritum pugnare non desinit, quoad in hac terra viuimus.

In quo tamen ipsa baptismi virtus nobis non deest, vt quæ non solum peccati omnis reatum semel ademit, sed contra concupiscentiam adhuc hærentem in nobis, & desideriorum bella cientem firmat vires nostras per spiritum sanctum, quo ipso ita munimur contra omnem concupiscentiæ vim, vt resistere ei ac præualere possimus, mouente Apostolo, Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.

De

MAIEST. DECLARATIO.
DE CONFIRMATIONE.

12

Atq; vt homini ad vitam corporis non solum necesse est, vt nascatur ac sit, sed etiam ut crescat, atq; nutriatur, ita eidem ad salutem non solum necesse est regenerari, verumetiam in bono confirmari, & per virtutem Spiritus sancti augeri. In quam rem institutum est Sacramentum cum primis utile, ipsa nimirum Confirmatio, quam celebrarunt Apostoli, cum Samaritanis imponerent manus, cum vtili huius efficacia, ut in Actibus Apostolorum Act. 8. scriptum est. Et quod hic egerunt Apostoli, Christi nomine fecerunt, & in mysterio hoc inducendo, non aliter quam in alijs partibus muneris sui, vicem Christi gessisse videntur. Innititur autem mysterium hoc promissionibus Christi de gratia Spiritus sancti, huiusq; missione. Ego mittam promissionem patris in uos, Item, Paracletus autem spiritus, quem mittet pater in nomine meo, ille docebit vos omnia. Et quanquam Sacramentum Confirmationis initio impositione manuum tantum celebratum fuit, tamen Ecclesia sub ipsis statim Apostolorum temporibus, ex eorundem traditione, vt externo signo internam Spiritus sancti vnctionem designaret, ritui eius adhibuit Chrisma, cum impressione signi sanctæ crucis, quem morem eumq; peruetustum Ecclesia Catholica approbare non desinit, & credit quos famulos suos Deus regenerauit ex aqua & spiritu, eosdem hoc Mysterio ita consignari, vt septiformem Spiritum sanctum Paracletum de cælis, Spiritum sapientiæ & intellectus, Spiritum consilij & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pietatis ac timoris capiant. Hæc cum credat, & in huius Sacramenti administratione testificetur Ecclesia Catholica, quæ est optima mysteriorum Dei interpret, qui aliter sentit, eandem negat veritatis columnam esse atq; firmamentum.

Vis igitur Sacramenti huius est, vt qui eo confirmantur, accipiant Spiritum sanctum, quo in via salutis progredi, perseuerare, & tentationibus atq; insidijs car-

D nis,

S A C R A E C A E S A R E A E

nis, mundi, Diaboli, foeliciter resistere possint.

Ac quia plerique eorum, qui baptizantur infantes sunt, nec fidei professionem per se adunt, conueniet ut pueri, cum iam adulti, & de religione Christi iam satis instructi, ad percipiendum Confirmationis Sacramentum accedunt, fidem Christi & obedientiam Ecclesie suo etiam ore profiteantur, & ieiuni atque confessi, hoc sacro Myste-rio iniciantur, quemadmodum per Concilium Aurelianense constitutum est. Non tamen censem propterea paruulos ab hoc Sacramento repellendos esse, cum Christus ipse non dubitarit, eis manus imponere. Non enim legem hic damus Ecclesie. Minister autem huius Sacramenti sit Episcopus, id quod consensu totius Ecclesie Catholice, & Apostolorum Praxi comprobatur.

DE SACRAMENTO POENI-
tentiae.

AC quoniam homines renati saepe in grauius crimina incidunt, instituit Christus Sacramentum poenitentiae, quod post Baptisma sit nobis tanquam secunda tabula in naufragio. In hunc enim usum tradidit clauem soluendi, inquit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, Simulac enim peccatorem peccati sui poenitet verè, idemque cum fiducia accedit ad thronum misericordiae, & credit hoc Sacramento accipi, quod Christus promisit, fit ei sicuti credit, nec deest Sacramento huic, quod promissum est, ut enim Sacramenta alia, sic & hoc vim habet sanctificandi. Consistit autem Sacramentum hoc in absolutione Sacerdotis, quae instituta & verbo Christi nititur, qui in hanc rem potestatem suam delegat Sacerdotibus, inquit: Sicut me misit pater, & ego mitto vos, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Sed quia tamen Sacerdos non solum habet potestatem remittendi, verumetiam ligandi, cum utraque simul diuinitus tradatur, videtur eate-
nus

Iohan. 20.

MAIEST. DECLARATIO. 13

nus potestatem iudicandi accipere, quatenus hanc vtriusque clauis potestatem accipit, nec eam exercere posse, nisi intelligat vtrum remittere, an retinere debeat. Tale autem iudicium non potest aliunde, quam ex confessione oris & peccatorum enumeratione hauriri, Nam cum pleraque hominum delicta sine teste committantur, occulta autem crimina animam etiam saucient, atque occidant, ac manifestis interdum grauiora, & periculosiora sint, Sacerdos de his non sanè iudicare potest, nisi qui commisit, ea recenseat & confiteatur, & haec sua quasi vulnera ipse aperiat.

Itaque quatenus ad sananda hominum delicta poenitentiae remedium monstratum est, eatenus etiam confessio poenitentis cum enumeratione peccatorum nobis commendata videtur, Quare ut Sacramentum Poenitentiae, tanquam salutare & necessarium probandum est populo Christiano, ita ipsa etiam confessio & peccatorum enumeratio, quae ut non nimis laxanda est, ita vicissim non nimis astringenda. Delicta enim quis intelligit? Itaque enumeranda sunt peccata, quae non quidem anxie nimis, sed tamen diligenter cogitanti, & sese excutienti in mentem veniunt: Quae autem in mentem non veniunt, generali confessioni rectè includuntur, & nihilo ea minus remittuntur, quam si ea confitendo enumerasset. Et quoniam hic ex absolutione quaeritur venia, non tantum oneris imponit Confessio, quantum consolationis absolutio credenti affert.

Iam etsi illa satisfactio, quae culpam & aeternam poenam expiat, soli Christo tribuenda est, satisfactio tamen, quae in poenitentiae fructibus consistit, maxime autem in ieiunio, Eleemosyna, & oratione, siue à nobis ipsis suscepta, siue à Parochis & dispensatoribus Sacramentorum iniuncta, si ex fide & charitate peragitur, peccatorum causas excindit, & peccati reliquijs medetur, ac temporalem poenam vel tollit vel mitigat, & in exemplum denique adhibetur.

Sed ut ad absolutionem Sacerdotis, in qua consistit vis Sacramenti Poenitentiae, redeamus, forma eius & verbum

D ij bum

SACRAE CAESAREAE

bum tale esse debet, vt qui confitetur, audire atq; intelligere possit, sibi virtute, merito ac beneficio Christi peccata remitti, iuxta huius institutum & verbum, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Nam hoc munus est Dei, cum ministerium sit Sacerdotis, vt verbis Ambrosij vtamur.

DE SACRAMENTO
Eucharistiae.

Qui iam per Sacramentum poenitentiae reuixit in Domino, ei item necesse est alii, & in bono spiritali crescere. Instituit igitur Christus Sacramentum Eucharistiae sub uisibili specie panis & uini, quod uerum Christi corpus & sanguinem nobis praebet, & hoc spiritali cibo unit nos sibi ut capiti, & membris corporis sui, ut in ipso ad omne bonum enutriamur, & cum sanctis in eorumque communione augetur per charitatem, Vnus enim panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui ex uino pane participamus, inquit Paulus, Forma autem huius Sacramenti, sunt uerba illa solennia, quae Christus ipse dedit, hoc est corpus meum. Et iterum: Hic est enim calix sanguinis mei, &c. Quod si igitur Christo & uerbo eius tantum tribuimus, quantum debemus, dubium non est, quin simul ac uerba eadem accedunt ad panem & uinum, ex his fiat uerum corpus, & uerus Sanguis Christi, quatenus panis ac uini Substantia in uerum Christi corpus & sanguinem transmutatur. Quod qui negat, idem Christi omnipotentiam in dubium uocat, & eundem ipsum uanitatis insinuat. Quo magis cauendum est, ne indignè hoc Sacramentum sumatur, Scriptum est enim, Nam qui edit ac bibit indignè, iudicium sibi edit ac bibit, non diiudicans corpus Domini. Propter hoc multi inter uos infirmi sunt, ac imbecilles, & dormiunt multi. Indignè autem sumit Sacramentum illud, quicumque aut aliter de eo sentit quam oporteat, aut non uerè respicit. Nam (ut Augustinus inquit)

mutet

MAIEST. DECLARATIO. 14

mutet uitam, qui uult accipere uitam: nam si non mutet uitam, ad iudicium accipiet uitam, & magis ex ipsa corrumpitur quam sanetur, magis occiditur quam uiuificetur, Itaque probanda est consuetudo Ecclesiae, quae hominem non ante ad Sacramentum Eucharistiae ducit, quam Poenitentiae Sacramentum eum repurgarit, Habet Eucharistia vim roborandi in bono spiritali, cui rei non sanè ullus est locus, nisi repurgatio peccatorum antecesserit. In quo ipso imitari debemus bonos medicos, qui non ante praebent, quae roborare ac confirmare possunt, quam malos humores e corporibus eiecerint, Quod nisi fecerint, non profunt aegroto, sed magis obsunt. Iam quanto maior hic adhibenda est cautio, ne indignè sumas, tanto plus consolationis capiunt, qui Eucharistiam dignè ac pie sumunt, & cogitant se pane e caelo descendente, qui uitam dat mundo, uesci, & ex hoc uerum atq; spiritali robur contra omnia mala percipere.

DE SACRA VNCTIONE.

Sacramenta, quae paulò superius posuimus, magnam sanè & multiplicem utilitatem generi humano afferunt, dum aut ex uetustate carnis languentes regenerant, aut regeneratos in gratia, quam acceperunt, confirmant, aut relapsos in gratiam unde deciderunt, restituunt, aut restitutos Christo firmius uniunt. In quem usum eumque salutarem, non deest Sacramentis gratia Christi, sed haec potius per eadem ueluti instrumenta hominibus tribuitur. Quanquam igitur horum Sacramentorum utilitas latissime per omnem uitam patet, tamen ne homo, cum aegrotat, desyderet subsidium peculiare, quod hoc eius periculosissimo tempore, uel corpori ipsius subuenire, uel animam contra ignita Satanæ tela munire possit, instituta est Vnctio sacra, ad quam oratio Ecclesiae accedat, Hanc unctio primè exercuerunt Apostoli, qui mandato

D iij

Domini

SACRAE CAESAREAE

Domini ad prædicandum Euangelium missi, dæmonia eiiciebant, & oleo ungebant multos infirmos, & sanabantur. Quæ utiq; Sacramentalis & mystica, non medicinalis aut corporalis unctio fuit, ad quam inter initia fidei externa etiam corporis sanitas, quasi quoddam internæ sanationis signum, consequebatur, quemadmodum in alijs Sacramentis ad commendationem & confirmationem rudis adhuc fidei, interna virtus externis & sensibilibus signis & miraculis demonstrabatur.

Nunc vero adulta & corroborata fides, signa, quæ infirmis dantur, non requirit. Huius mysticæ & salutaris Unctionis à Domino fundatæ ritum quo administrari eam conveniat, Apostolus Iacobus promulgavit, Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, &c. Quanti autem in Ecclesia esse debeat testimonium fratris illius Domini, testimonium dicimus, imò vero promulgatio, quam cum fecit legatus atq; Apostolus Christi, Christus ut à se factam procul dubio ratam habuit, qui igitur contemnit hoc Sacramentum, Christum ipsum contemnere, & gratiam, quam hic per unctioem sacram nobis quodammodo porrigit, aspernari videtur, atq; hoc fuerit tanto periculosius quanto grauius est discrimen, in quo ægrotus versatur, non solum corporis, sed etiam animæ, in quod potestates tenebrarum eum adducunt, quatenus in extremo vitæ tempore omnes quasi machinas ad extinguendam salutem hominis admouent, eiusq; animum terroribus incredibilibus frangere, & in desperationem impellere conantur.

Unctioem quidem hanc sacram solis infirmis adhibendam Iacobus Apostolus insinuat, quod reliqui etiam Apostoli seruauerunt, Non tamen in omnibus, sed periculosis modo infirmitatibus, & ybi vitæ huius interitus timetur, exercenda est mystica illa unctio.

DE

MAIEST. DECLARATIO. 15

DE SACRAMENTO
ordinis.

QVod autem ad ministeria Ecclesiæ attinet, quanto hæc maiora sunt, tanto magis dono Dei ac gratia egent, Quamquam enim Christiani omnes sunt Sacerdotes, quatenus spirituales hostias Deo offerre, & nomen eius in omni loco vtiliter inuocare possunt, non omnes tamen sunt Ecclesiæ ministri. Sed iam inde ab ortu Ecclesiæ segregati sunt quidam in ministerium Ecclesiæ, qui huius muneribus fungerentur, & eosdem ita distinxit Deus, ne iidem omnia possent, neue ex promiscua illa ratione perturbatio nasceretur. Neq; enim Deus est confusionis author. Institutum est igitur Sacramentum ordinis, cum signo impositionis manuum, & alijs huic Sacramento congruentibus ritibus, quo qui consecrarentur ad munera Ecclesiæ, acciperent gratiam, qua ad eadem ipsa munera administranda apti, habiles, atq; idonei efficerentur. Hinc illud Apostoli ad Timotheum: Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij. Hoc autem ordinis Sacramentum verbis Christi nititur, Sicut me misit pater, & ego mitto uos. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Item, Euntes in mundum ^{Iohan. 2.} uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Item, ^{Math. ult.} Euntes docete omnes gentes, baptizantes eas. Item, Hoc facite in meam commemorationem. Quibus igitur in perpetua Ecclesiæ successione manus imponunt Episcopi, ut ordinibus initientur, potestatem muneris sui exequendi dant, Quæ sanè duplex est. Ordinis videlicet & Iurisdictionis, Sub alteram cadit ministerium verbi diuini, administratio Sacramentorum, & Ecclesiarum ordinatio ad ædificationem, Sub alteram vero potestas excommunicandi, & poenitentes absoluendi. Ordines autem quos Catholica Ecclesia agnoscit, sunt hi septem, Presbyterorum, Diaconorum,

S A C R A E C A E S A R E A E

Diaconorum, Subdiaconorum, Acoluthorum, Lectorum, Exorcistarum, Ostiariorum, quibus distincta munera, eaq; aut necessaria Ecclesijs, aut vtilia assignari debent, vt facile appareat, cum de Ecclesia Christiana male mereri, quicunq; Ordines hos uel spernit, uel tollit.

D E S A C R A M E N T O

Matrimonij.

Instituerat Deus in paradiso Matrimonium, quo Mas & Foemina ad perpetuam, & indiuiduam vitæ societatem coniungerentur, iuxta verbum Domini, Quamobrem homo relinquet patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna. Quanquam autem Matrimonium ad tam arctam hominum societatem institutum erat, tamen sub lege Patrum matrimonia à prima institutione duobus modis degenerarunt, Videlicet vt & vnus plures uxores duceret, & ductam aliquando dato libello repudiij à se dimitteret, Quorum prius ex dispensatione Dei permissum, futuri temporis mysterio seruebat, vt per plures vnus viri uxores insinuaret, Christum tam ex Synagoga, quam ex multitudine gentium, Ecclesiam sibi collecturum, & sponsam sibi adiuncturum, & vt fecunditate plurium uxorum Christo Saluatori, ex eorum semine nascituro, seruirent. Repudium uero Moses populo ob duriciam cordis permisit, leuius ducens uxorem à uiro odio habitam dimitti, quam occidi, ut cæde eius nouis nuptijs locum aperiret. Verum postquam plenitudo gratiæ uenit, ut alia quæ uel in coelo, uel in terra essent, restaurauit Christus, Sic etiam Matrimonium restituit. Hinc illud Christi, Qui fecit hominem ab initio, masculum & foeminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaq; iam non sunt duo, sed una caro, Quos igitur Deus coniunxit, homo non separet. Et paulò post. Moses ob duriciam cordis uestri permisit uobis dimittere uxores

Matth. 10.

MAIEST. DECLARATIO. 16

uxores uestras, ab initio autem non fuit sic. Quamobrem quicunq; dimittit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.

Quod Apostolus interpretatur, cum ait: Iis, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Hæ itaq; Christiani Matrimonij singulares conditiones manifestis scripturæ sanctæ testimonijs comprobantur, vna, vt sit matrimonium duorum tantum, hoc est, viri vnus cum vna muliere coniunctio. Duo, inquit, erunt in carne vna. Nec sic iunctis liceat, defraudato coniuge suo, alicui tertio corporis sui potestatem permittere, prohibente Apostolo, & dicente: Mulier potestatem corporis sui non habet, sed vir, Similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. Altera conditio est, vt vinculum coniugij inter duos semel colligatum, nullo amplius diuortio, sed sola alterius morte dissoluatur. Nam quod Christus ob fornicationem dimitti posse uxorem insinuat, hæc separatio thori & mensæ consuetudinem inter coniuges scindit, vinculum coniugij non soluit, ita vt adulterium committat, velut alienam contrectans uxorem, quisquis sic dimissam duxerit.

Quoniam igitur Christus matrimonium gratia sua melius fecit, & arctiore quasi vinculo constrinxit, vt quem admodum Christus vnus Ecclesiæ vnus est sponsus, idq; indissolubili nexu, Sic vnus uxoris vnus sit maritus, idq; perpetua coniunctione, & similiter atq; Christus cum Ecclesia sponsa sua perpetuò iungitur, Quare matrimonium non solum coniunctio est maris atq; foeminæ, sed etiam Sacramentum, ob gratiam Christi, quæ ei nunquam deest, vt cum uir uxorem suam diligere possit, perinde quasi Christus Ecclesiam, sic ille cum hac colat societatem indiuiduam, ut una sit in perpetuum contentus, nec cum hac innita diuortium faciat, exceptis causis quæ iure diuino explicantur.

E

Ac

SACRAE CAESAREAE

Ac quoniam Deus fouet matrimonium gratia sua, idemque approbat, quatenus coniuges inter se matrimonium contrahunt, Signum datur illustre, ad sperandum consuetudinem ipsorum cum bonam esse per se, tum Deo gratam. Et quanquam prolis procreandae causa matrimonium potissimum contrahi debet, tamen qui contrahit etiam fornicationis vitandae causa, non peccat: habeat enim vnusquisque uxorem suam propter fornicationem, inquit Paulus. Vis igitur Sacramenti huius est, vt intelligant coniuges se non humana, sed diuina autoritate coniunctos gratiam accepisse, qua ipsis legitimus congressus non imputetur ad culpam, qua item Christianus uxorem gentilem cum eo manere volentem sanctificet, & sanctos, hoc est, Deo dicatos filios procreet: qua denique perpetuam fidem coniugi seruet, vt sint duo in carne vna, & qua mulier fidelis salua fiat in procreatione filiorum, si permanferit in fide & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate. Itaque matrimonium honorabile, in eoque thorus immaculatus esse potest. Quod cum Manichaei, Taciani, & Encratitae ignorarent, matrimonium reprehendere non dubitarunt, Quam eorum sceleratam temeritatem a doctrina Daemoniorum profectam, Apostolus Paulus damnat.

Ac quoniam vinculum matrimonij tale est omnino, tantamque vim habet ad coniungendum, vt non sit vllum coniunctionis humanae vinculum, quod magis constringat. Quod cum agnosceret Adam in Paradiso, sic de muliere, quam Deus e costa corporis ipsius aedificauerat, locutus est: Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea, ob hoc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est: Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suae, & erunt duo in carne vna: Itaque cum patria potestas huic inter coniuges coniunctioni summo iure cedat, audiendi non sunt, qui volunt hoc tempore matrimonium vel Sponsalia contracta scindi & irrita esse, si parentum consensus non accesserit. Nihil hic detrahimus

MAIEST. DECLARATIO. 17

mus obedientiae, quam liberi parentibus debent, sed nolumus parentes in impediendis aut dirimendis matrimonijs potestate sua abuti, Quia tamen censemus honestatis esse, vt liberi sine consilio & consensu parentum non contrahant matrimonium, huius officij sui per Concionatores sedulo admonendi sunt.

An vero parentibus potestas permitti debeat, in hoc casu liberorum inobedientiam derogatione, aut saltem diminutione dotis, aut aliqua alia via puniendi, de hac re ordinariae potestati cura relinquenda videtur.

DE SACRIFICIO MISSAE.

VT religionem, sine qua nulla gens viuit, ius Naturae introduxit, sic etiam Caeremonias, sine quibus religio coli nec potest, nec solet, In ipsis vero Caeremonijs externam oblationem velut praecipuam omnes omnium seculorum gentes obseruauerunt, quae etsi (teste Cypriano) circumcisionem velut crudelem & naturae inimicam horruerunt, non tamen similiter repudiarunt reliqua Sacrificia, sed in multis legem naturae sequentes, expiationum retinuerunt instrumenta, & immolare victimas, & incendere adipem, & libaminibus fundere coram Deo vota & preces, cultu cum ipsa natura hominibus insito, & per omnium animos diuinitus vulgato, perseuerauerunt, Sed & hoc commune, & omnium animis affixum omnes gentes tenuerunt, vt externae oblationis cultum vni Deo deberi magno consensu existimarent. Nemo enim externa oblatione colendum vnquam censuit, nisi quem Deum esse, aut sciuit, aut putauit, aut finxit, Cuius cultus antiquitatem duorum fratrum, Cain & Abel, Sacrificia comprobant, quorum priorem simul & munera eius auersatus reprobauit Deus, Minoris uero oblationem placatus aspexit.

Hunc uero sacrificandi ritum Deus (volens omnes homines saluos fieri) mentibus hominum hac de causa

E ij diuinitus

Augusti, de
cui. Dei,
li. 10. ca. 6.

SACRAE CAESAREAE

diuinitus in seuit, Cum enim propter vnus hominis peccatum vniuersum genus humanum irae Dei, & iustae damnationi obnoxium teneretur, tantoque grauior & periculosior illis damnatio immineret, quanto magis peccata peccatis accumulando iustam Dei iram contra se incitabant. Deus nolens perire quos condiderat, Mediatorem & Reconciliatorem humano generi destinauit, qui nos cum Authore nostro reconciliaret, & iustam Dei iram singularis Sacrificij oblatione placaret. Deus igitur magnae dilectionis, filium suum carne nostra circumdatum, misit in mundum qui peccata nostra in se suscipiens, in corpore suo ea pertulit in cruce, & semetipsum pro nobis hostiam appendens per proprium sanguinem in sancta semel ingressus, aeternam redemptionem adinuenit.

Huius preciosissimae hostiae nidore delinitus pater iram remisit, & homines prius peccatis immersos, impuros & iniustos, & damnationi obnoxios, nunc filij sui sanguine ablutos, absoluit, iustificauit, ac sibi reconciliauit.

Huius vnicae oblationis uirtus, atque efficacia non illi modo temporis seruiens, quo Christus in carne hostiam se appendit, sed omnes omnium saeculorum aetates complectens, omnium hominum, qui ab origine mundi fuerunt, & in finem usque saeculi nascituri sunt, delendis peccatis suffecit: Verè enim erat Deus in Christo, mundum sibi reconcilians. Et, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et, Ipse est propiciatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantum, sed pro totius mundi. Mundus autem non vnus temporis, sed omnium aetatum homines comprehendit. Hinc in Apocalypsi, Christus Agnus dicitur, ab origine mundi occisus, quoniam sanguis eius omnium aetatum iam inde ab initio mundi delicta emundauit.

De hac oblatione, quae ad totius generis humani reconciliationem vna suffecit, Paulus ait, Vnica oblatione consummauit in aeternum sanctificatos. Et, Quia in ipso complacuit

MAIEST. DECLARATIO. 18

complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis, siue quae in terris, siue quae in caelis sunt. Et, Placuit instaurari omnia in Christo, quae in caelis, & quae in terra sunt in ipso. Et in Esaia, Torcular (inquit) calcaui solus. Et, Cuius liuore sanati sumus.

Vt uero huius tam efficaciae oblationis, quae omnium hominum salutem plenissime, sufficientissime & perfectissime meruit, omnes homines participes fierent, & eius fructum in se transferrent, Deus ab initio mundi sub lege naturae diuina inspiratione in animis hominum sacrificandi ritum excitauit, & mox data lege diuersa sacrificia monstrauit, quorum omnium hic usus erat, non ut homines Deo reconciliarent, & salutem ipsa merentur, Sed ut per haec externa sacrificia venturi sacrificij, in quo redemptionem omnium Deus promiserat, memoria in animis hominum subinde excitaretur, fides confirmaretur, & fructus eius credentibus, & in uirtute venturi sacrificij sperantibus applicaretur: & ut quoties ista sacrificia celebrarentur, homines tum aliorum beneficiorum Dei, quae continua eius benignitate accipiebant, cum salutis suae per promissum reconciliatorem accipiendae, gratis animis recordarentur.

Nullum itaque siue sub Naturae, siue sub Mosis lege sacrificium per se Deo placebat, quippe qui ijs quae offerebantur se non indigere saepe potestatus est, Si esuriero, inquit, non dicam tibi, meus est enim orbis terrae, & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Sed quatenus haec uisibilia sacrificia inuisibilis & futuri sacrificij Sacramenta erant, si quis ea in fide à Deo promissi Reconciliatoris obtulisset, hoc agens his externis sacrificijs, ut fidem in venturum Christum ostenderet, & salutaris illius sacrificij fructum, quem iam & fide conceperat, & firma spe expectabat, in se transferret, & Deo pro tantis beneficijs animi sui gratitudinem declararet, Vtique talia sacrificia & Deo

E iij grata,

Hebr. 9.

1. Cor. 6.

2. Cor. 5.

Johan. 1.

1. Ioan. 2.

Apoc. 13.

Hebr. 10.

Colos. 1.

Ephes. 2.

Esa. 63.

Esa. 52.

Psalm. 47.

SACRAE CAESAREAE

grata, & offerenti salutaria erant, nulla quidem sua propria, sed futuri sacrificij virtute, quam per fidem offerenti applicabant.

Et ut ratio Sacrificiorum disertè intelligatur, vnicum est Sacrificium meritorium, cuius virtus delendis hominum peccatis, efficax homines à Deo alienatos, & iræ eius ac damnationi obnoxios reconciliauit, & æternam salutem & redemptionem toti hominum generi meruit. Illa videlicet Christi Victima salutaris, qua pro delictis hominum in cruce se hostiam appendens, in æternum consummauit sanctificatos, Cuius meritum non accipit augmentum, quia perfectum est, nec diminuitur aut exhauritur, quia æternum est. Vnde & reliqua omnia Sacrificia nihil huic Sacrificio superaddunt, nihilq; ipsa per se merentur, Sed vnica huius oblationis fructum credentibus applicant, & ad excitandam & retinendam in animis hominum huius vnica oblationis memoriam, & fidem confirmandam, & pro omnibus Dei beneficijs declarandam gratitudinem seruiunt.

Sunt autem huiusmodi applicatoria Sacrificia quædam omnibus legibus communia, & promiscuè omnibus hominibus permixta, qualia sunt Sacrificium contribulati cordis, & humiliati Spiritus, & ob colendam pietatem susceptæ carnis afflictiones, sacrificium labiorum, precum, gratiarum actionis & laudis, & si qua sunt similia. Quædam vero semper fuerunt vniuscuiusq; legis propria, & certis hominum officijs alligata, à quorum oblatione alij magnis comminationibus & pœnis arcebantur, 1. Regum 13. 2. Paralip. 26. Nec vlla lex quemadmodum nec vlla Gentium religio Sacrificijs caruit. Hæc enim tria colligata sunt, & se inuicem necessaria consequuntur, Lex, Sacerdotium & Sacrificium, Hebr. 7.

Sic itaq; sub lege Naturæ iusti homines, & de Dei promissionibus edocti, in eum quem futurum sciebant Saluatorem credentes, Sacrificia offerebant, quorum oblatione, futuræ salutis fidem & spem, & pro ea gratitudinem suam

MAIEST. DECLARATIO. 19

suam declarabant, & eius quod futurum expectabant, salutaris Sacrificij meritis adiuuari ambiebant. Hunc morem cæteræ gentes, occulta inspiratione animis eorum insita imitantes, non quidem verum Deum, sed quem Deum aut putabant, aut fingeant, sacrificijs placare uoluerunt.

Lex vero per Mosen data, ad legem Naturæ accedens, non ut eam tolleret, sed ut meliorem redderet, oblationes externas instituit, quæ & præfigurarent futurum Christi Sacrificium, & quoties eas celebrarent Iudæi, tum aliorum beneficiorum Dei gratis animis recordarentur, tum illius venturi Sacrificij virtutem in se, credendo & sperando, & orando transferrent.

Christus autem, qui non venerat legem soluere, quatenus vel naturalis vel moralis erat, sed eam potius adimplere, cum nouam legem suam, de qua iam ante per Hieremiam promiserat, in mundum induceret, ne eam solam in hac parte contra præcedentium legum communem morem mancam, aut imperfectiorem relinqueret, peculiari Sacrificio, pariter & Sacerdotio eam instruxit, siquidem necesse fuit iuxta Apostoli sententiam, succedente noua lege etiam sacrificium huic legi peculiare consequi, Hebr. 1. & Sacerdotes velut huius sacrificij ministros assumi, Hebr. 5.

In qua legis parte sanè bona, sancta, & pia idem Dominus noster Iesus Christus ne Ecclesiæ suæ deesset, in vltima ccena cum gratias egisset Deo, Sacramentum corporis & sanguinis sui instituit, duplicem eius vsum statim commendans, ut à fidelibus velut animæ salutare alimentum sumeretur: Accipite, inquit, & comedite, Et ut in memoriam passionis suæ offerretur. Cuius oblationis ministerium Apostolis, velut nouæ legis Sacerdotibus contradens, Hoc, inquit, facite in mei commemorationem.

Quemadmodum igitur ante Christi aduentum Deus Patribus certa quædam sacrificia tradidit, quibus magni istius Sacrificij, quod futurum ipsi expectabant, memoriam in animis suis excitarent, fidem stabilirent, & fructum

SACRAE CAESARAE

fructum eius credendo & orando sibi applicarent, & per eorum oblationem beneficiorum Dei gratis animis recorderentur, Sic Christus Ecclesiae suae mundam & salutarem corporis & sanguinis sui oblationem sub speciebus panis & vini commendauit, qua corporis eius in cruce pro nobis appensi, & sanguinis effusi memoriam subinde in animis nostris renouaremus, & fructum istius oblationis cruentae, qua in aeternum consummauit sanctificatos, in nos transferremus, Hoc est enim facere in memoriam eius, id est, gratis animis commemorare mortem Domini, & per memoriam & meritum passionis eius deprecari patrem, vt nobis reconcilietur.

Hebr. 10.

Haec est munda & salutaris oblatio, illius vnici Sacrificij, quo omnium salus comparata est, rememoratiua, non solum significans, sed reipsa in se comprehendens veritatem illarum rerum, quas diuersorum sacrificiorum oblationes olim praesignabant, Eadem nimirum corporis & sanguinis Christi hostia, quae in cruce est oblata, non alia, idem Agnus non alius, & vnus vtrobiq; Christus, sed tunc cruento & passibili modo oblatus est, qua oblatione omnibus credentibus remissionem peccatorum & redemptionem sufficienter impetrauit. Nunc vero eundem sub Mysterio, & modo incruento, & impassibili offerimus, non vt peccatorum remissionem, & animarum nostrarum salutem iam primum promereamur, sed vt passionis Dominicae memoriam recolentes, Deo gratias agamus, pro salute nobis in cruce impetrata, & ibi promeritam peccatorum remissionem & redemptionem, fide & deuotione nobis applicemus & appropriemus.

Chrysostr.

Hanc tam salutarem victimam in Spiritu praevidit Malachias, cum ait: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, Quod vaticinium de solis spiritualibus sacrificijs accipi non potest, quae nullius

MAIEST. DECLARATIO. 20

nullius legis propria, sed omnibus temporibus & hominibus communia existunt, & cum Sacrificijs veterum semper commixta durauerunt, at ipsa verborum serie satis conuincitur Prophetam loqui, de Sacrificio, quod sublati veteribus Sacrificijs in locum eorum erat successurum, Vnde recte haec verba de sacratissimo Christi Sacrificio accipiuntur, non illo quidem, quo se in cruce pro peccatis generis humani obtulit (illud enim nec inter Gentes, nec in omni loco, Sed in Iudaea consummatum est) Sed quod ex Gentibus congregata Ecclesia per totum terrarum orbem offert ad recordationem mortis Domini, & ad virtutem eius in credentes transfundendam.

Atq; hic loci illius intellectus luculentis Patrum testimonijs roboratur. Irenaeus libro quarto contra Haereses capite tricesimo secundo, Eum qui ex natura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo, de quo in duodecim Prophetis. Malachias sic praesignauit, Ab ortu solis usq; ad occasum nomen meum glorificatur inter Gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & Sacrificium purum.

Augustinus. Nouerint, inquit, qui legunt, quid protulerit Melchisedech. Quando benedixit Abraham, Et si iam sunt participes eius, vident tale Sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Vnde alius Propheta dicit, Ad eum qui secundum carnem est, Israel, Non est mihi voluntas in vobis, &c.

Augustinus
cōt. aduer.
legis lib. 1.
cap. 20.

Ambrosius de hoc nouae legis Sacrificio testatur, Ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur, quasi recipiens passionem, & offert seipsum quasi Sacerdos.

Chrysostr. Nonne per singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed recordationem facientes mortis

F eius.

SACRAE CAESAREAE

eius. Et vna est hæc hostia, non multæ, quomodo vna est, & non multæ. Et quia semel oblata est illa, oblata est in sancta sanctorum: Hoc autem Sacrificium exemplum est illius, id ipsum semper offerimus, nec nunc quidem alium Agnum, crastina alium, sed semper id ipsum &c.

Athanasius. In æternum, inquit, Christi est Sacerdotium, quia quotidie offertur per ministros Dei oblatio, Christum & Pontificem habens & Sacrificium.

Hanc vero oblationem, quam Ecclesiæ in recordationem mortis suæ faciendam Christus commendauit, prius ipsum in cœna exercuisse, & Patri seipsum sub speciebus panis & vini obtulisse, magni testes comprobant, inter quos Dauid Christum appellans Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, satis ostendit, Christum Sacrificio panis & uini figuram, quæ in Melchisedech Sacerdote præcesserat, adimplesse, de qua re S. martyr Cyprianus lib. 2. epist. 3. Qui ordo utiq; est de illo Sacrificio veniens & inde descendens, quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Iesus Christus? Qui sacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & uinum, scilicet corpus & sanguinem. Et mox, ut in Genesi per Melchisedech Sacerdotem benedictio circa Abraham posset ritè celebrari, præcedit ante imago sacrificij in pane & vino scilicet constituta, quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit. Arnobius: Hic (inquit de Christo loquens) qui per Mysterium panis & vini Sacerdos factus est in æternum, secundum ordinem Melchisedech, qui panem & vinum solus obtulit in Sacerdotibus, dum Abraham victor reuerteretur de prælio. Damascenus, Pane & vino suscepit Melchisedech Abraham ex cæde alienigenarum, qui erat Sacerdos Dei altissimi, illa mensa hanc mysticam præfigurauit mensam,

MAIEST. DECLARATIO. 21

sam, velut & Sacerdos ille Christi veri Sacerdotis præfiguratum præ se ferebat imaginem, Tu es, inquit, Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Similia multa testimonia inueniuntur apud Hieronymum ad Euagrium, Augustinum de Doctrina Christiana, lib. 4. cap. 21. Ambrosium de Sacramentis libro 4. Chrysostomum, Theophylactum.

Secundum hæc sacra scripturæ & sanctorum Patrum testimonia Catholica Ecclesia duo Christi sacrificia agnoscit, eadem secundum substantiam, sed secundum rationem & ritum offerendi multum diuersa, Vnum in cruce cruentum, alterum quo in cœna sub panis & vini specie corpus & sanguinem suum ipse Sacerdos iuxta ordinem Melchisedech patri obtulit, perpetuum condens nouæ legis Sacrificium, quod Apostolis suis ac successoribus ipsorum, ut ad finem vsq; seculi in memoriam ipsius facerent, commendauit. Horum ut modus offerendi diuersus, sic & usus discretus est, Cruento suo sacrificio Christus totius mundi reconciliationem & propitiationem pro peccatis, & plenam omnium redemptionem impetrauit, Alterum vero Sacrificium ad recordationem cruenti Sacrificij institutum, & Ecclesiæ commendatum est, quo Christum impassibili & incruento modo sistimus Patri, non ut remissionem peccatorum, & redemptionem de nouo mereamur, sed ut in cruce meritam fide & deuotione nobis applicemus, Christi iussione sequentes, qua iussit, ut hoc in memoriam sui faceremus, id est, ut per memoriam & meritum passionis suæ Patrem pro reconciliatione nostri & peccatorum remissione, & animarum nostrarum salute, proq; corporum, ac rerum nostrarum incolumitate deprecemur.

Hactenus ostensum est, quibus rationibus & testimonijs Sacrificium Altaris subnixum subsistat: Nunc de ritu eius pauca subiiciantur.

In celebratione Sacrificij Altaris, nunc laudes Dei, nunc fidelis populi preces, nunc gratiarum actiones, nunc

F ij scriptu-

SACRAE CAESAREAE

scripturarum lectiones subinde admiscuntur, Vnde & laudis, & gratiarum actionis, & precum Sacrificium rectè nuncupatur, quo ritu Catholica Ecclesia Christi exemplum refert, qui in cenæ Sacrificio pro incolumitate Ecclesiae, quam in terris relicturus erat, multas preces ad Patrem fudit, & tandem Hymnis & gratiarum actione cœnam mysticam consummauit. Sed & hanc Pauli tam seriā admonitionem, qua in primis fieri voluit obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate. Ecclesia in celebratione Sacrificij Altaris, iuxta Augustini sententiam, plenè & exactissimè obseruat, dum obsecrationes facit, antequàm illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedicere, Orationes vero cum benedicatur & sanctificatur: Postulationes autem, seu interpellationes, cum populus benedicatur, & misericordissimæ potestati commendatur. Quibus peractis, & participato Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit. Vide Augustinum Epistola 59. ad Paulinum, vbi ritum celebrandi Sacrificij Altaris, qualem hodie obseruat Ecclesia, perspicuè agnosces.

Sed & apud alios omnium ætatum viros Catholicos hunc ritum receptum & confirmatum videre licet, qui admixtas in celebratione huius Sacrificij preces, & gratiarum actiones, & ipsam hostiam solenni prece consecrari solitam, magno consensu meminerunt. De qua re Chrysost. in Matthæum homi. 83. de Sacerdotio lib. 3. Basilius Magnus de Spiritu sancto cap. 27. Theophy. in cap. 14. Marci. Gregorius Epistola 63. ad Ioannem Episcopum Siracusanum. Ambrosi. de Sacra. lib. 4. capi. 5. Qui & hunc Canonem quo nunc vtitur Ecclesia penè secundum singula eius verba passim in libris à se æditis recensent.

DE

MAIEST. DECLARATIO.

28

DE MEMORIA SANCTORVM
in Altaris Sacrificio fieri consueta, & de eorum
intercessione inibi expetita, & obiter de
Sanctorum inuocatione.

CVmitaq; in hoc Altaris Sacrificio immensi istius beneficij memoriam recolamus, quo Christus semetipsum pro totius corporis sui Mystici, id est, pro omnium credentium incolumitate & salute hostiam fecit, ibiq; secundum Domini exemplum, & Apostoli admonitionem pro totius Ecclesiae incolumitate preces ad Deum fundendæ, & pro omnibus eius beneficijs gratiæ agenda sint, Ecclesia intra sese omnia sua membra colligens, eorum etiam memoriam facit, qui hac mortalitate exuti, apud Dominum uiuunt, & in primis grata ueneratione Deo dilectos Sanctos complectens, pro his gratias Deo agit, qui eos, cum natura imbecilles essent, gratiæ suæ munere ita roborauit, vt vitia carnis superarent, & contra peccatum, Diabolum & mortem, non sua, sed Dei virtute fortes, viriliter dimicando coronam iustitiæ à iusto Iudice impetrarent. De huius gratiarum actionis pro Sanctis antiquitate, & consuetudine per totam Ecclesiam diuulgata. Vide apud Dionysium Areopagitam. Cyprianum lib. 3. Epistola 6. lib. 4. Epistola 5. Augustinum de Ciuitate Dei, lib. 8. cap. 27. lib. 22. cap. 10. contra Faustum Manich. lib. 20. cap. 21.

Nec solum ueneramur Sanctos, & pro his gratias agimus, sed eorum precibus & meritis in omnibus diuinæ protectionis auxilio muniri postulamus, rectè sentientes eos uelut eiusdem communionis Ciues, & corporis eiusdem membra, etiamnum vno spiritu, & vinculo charitatis nobiscum colligatos, salutem nostram appetere, & malis nostris indolere, ideoq; pro necessitatibus nostris apud communem Deum Patrem, per Iesum Christum communem omnium mediatorem interpellare, Quod ut faciant, ipsum ius communionis, qua nobis iuncti sunt, simul

F. iij

& præ

SACRAE CAESARIBUS

& præceptum eos adducit, Orate, inquit Iacobus, pro inuicem, ut saluemini, Et charitas, qua erga nos afficiuntur, suadet & monet, & ea qua apud Deum nunc pro se securi, & ab infirmitatibus & defectibus immunes viuunt, facultas non prohibet, quodque eos in alia vita facere apertis scripturae testimonijs cognouimus, 2. Macha. 15. Vbi Onias conspicitur manus protendens, & orans pro populo, & alius vir, ætate & gloria mirabilis, de quo dicitur: Hic est fratrum amator & populi Israhel: hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Hierusalem, Hieremias Propheta, Et Zacha. 1. Angelus pro ciuitatibus Iuda interpellat, Domine exercituum, usquequod non misereberis Hierusalem, & urbium Iuda, quibus iratus es?

Hac fide, sicut eorum qui nobiscum in carne uiuunt, ita & Sanctorum apud Deum uiuentium, preces pro nobis postulamus, & ut pro nobis orent, eos nominatim appellamus, nec dubitamus, quin ei qui potest omnia, facile sit efficere, siue per Angelorum ministeria, siue alia sibi placita ratione & via, ut nostras petitiones Sancti resciscant, Qui utique hoc præstat, ut Angeli, peccatoris conuersionem in cælo cognoscentes, gaudio exultent.

Merita vero Sanctorum non talia esse asserimus, qualia in Christo inuenimus, qui semetipsum pro nobis impendens, & sanguinem suum pro nobis fundens, plenam cum Deo reconciliationem mundo promeruit. Sancti vero merita sua, quibus & ipsi saluati sunt, & nobis suffragantur, ex eodem omnis salutis & totius meriti fonte, Christi videlicet passione hauserunt. Non enim si iustitiæ rigorem spectemus, cuiquam Sanctorum operationes suæ, quantumuis virtuosæ ad propriam salutem suffecissent, iuxta illud: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et illud Christi: Si feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite quia serui inutiles sumus, Et illud Pauli: Non sunt condignæ passionis huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in vobis, Ex Dei autem misericor-

MAIEST. DECLARATIO. 23

miseriordia & liberalitate, & Christi gratia, non solum ipsis ad salutem, Sanctorum merita conducunt, Sed etiam nobis ad protectionem, & gratiæ diuinæ impetrationem profunt, Deo in eis misericorditer complente, quod veraciter promisit, cum ait: Ego sum Deus fortis, zelotes, visitans iniquitates filiorum in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me, Et faciens misericordiam in milia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea, Sic defuncti Abrahami merita filio Isaac profecerunt, Genes. 26. Et Iacob in hac religione Nepotes suos erudiens, nomen suum & patrum suorum, super ipsos inuocari edocuit, Genes. 48. Quod & Moses plena fiducia fecit, Quiescat, inquit, ira tua, & esto placabilis, super nequitiam populi tui, recordare Abraham, Isaac & Israhel seruorum tuorum, Exod. 32. Sic propter gratiam, qua apud Deum valuit Dauid, vir secundum cor Dei, tota eius posteritas indulgentiam Dei in commodum suum persæpe sensit, 3. Reg. 12. 4. Reg. 19. Esa. 37. Ezech. 14.

DE MEMORIA DEFUNCTO-
rum in Christo.

Dominus noster Iesus Christus, secundum voluntatem Patris, hostiam redimendis hominibus salutarem seipsum in cruce affigens, utique omnes eos, qui hanc victimam suam, saluandis hominibus iam inde ab origine mundi destinatam, fide & voto præuenissent, vel in sequentibus temporibus fide eam amplexuri essent, intra seipsum uelut membra sua collegerat, volens passionis sue fructum ad omnes pariter, qui corporis eius membra unquam effecti essent, peruenire: Vnde Ecclesia communis huius Sacrificij memoriam reuelens, omnia sua membra pariter aduocare, nec quenquam eorum excludere debet, qui secundum Domini liberalem voluntatem utilitatis huius sacrificij capax existit, ideoque quemadmodum prius sanctorum, ita postea etiam reliquorum Christianorum memoriam circa

SACRAE CAESAREAE

August. in
Ioan. trac.
34.

circa Sacrificium Altaris inducit, quos in vera Christi fide decessisse piè credit, de quibus tamen satis certum esse nequit. Vtrum satis emundati, & purgati hinc emigrauerint, Aliam tamen Sanctorum, & aliam aliorum in somno pacis quiescentium memoriam seruat. Illorum quidem, non vt oremus pro eis, sed magis vt orent ipsi pro nobis, vt vestigijs eorum inhæreamus. Horum uero, ut communi Domino pro eis supplicemus, quatenus Deus, omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis, & pacis, indulgere dignetur, per Christum Dominum nostrum.

Eos vero, qui nos in signo fidei præcesserunt, vt à commercio orationum nostrarum non secludamus, ipsa communionis, quam cum omnibus sanctis confitemur, ratio disertè exposcit, quippe qui etiam corporibus soluti, Spiritualibus tamen nexibus nobiscum cohærent, & vno spiritu, velut eiusdem corporis membra nobis adglutinantur, & vinculo charitatis connexi adhærent nobis, nec mors eos corporalis ex mystici corporis Christi compage præscindere, aut separare potest.

Cum itaq; talem orandi formam nobis Dominus insinuauerit, vt nemo pro sua tantum, sed, velut magnæ communionis Ciuis, pro omnium utilitate rogare debeat, & per Apostolum præcipiat, nos pro inuicem orare, vt saluemur, magnæ in consortes suos crudelitatis, & contra Dominum detestandæ temeritatis fuerit, si quis à commercio orationum nostrarum in Christo defunctos excluderit, quod eum facere, nusquam scriptura præcipit, & communionis spiritalis, quam cum sanctis omnibus profitemur, ratio disertè vetat.

Hanc autem consuetudinem per totam Christi Ecclesiam diuulgatam, qua circa Altaris sacrificium memoria defunctorum adhibetur, ex Apostolica traditione promanasse, magnis & fide dignis testimonijs abundè doceri potest, Dionysius Areopagita lib. Ecclesiast. Hierach cap. 7. De prece super defunctis facienda, ex diuinis Ducibus, hoc est, Apostolis traditio peruenit ad nos. Vbi & totum harum

MAIEST. DECLARATIO. 24

harum precum ordinem, & rationem luculenter explicat: Precatur, inquit, oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per humanam infirmitatem admissa peccata defuncto, eumq; in luce statuat, & regione viuorum, &c.

Chrysostomus ad populum Antiochenum Homil. 69. Non temere inquit, ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis Mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, Cum enim constiterit populus extensis manibus, & tremendum proponatur Sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes?

Chrysost.
ad pop. ho
mi. 69. in 1.
Cor. ho. 40

Damascenus, Apostoli (inquit) discipuli saluatoris, qui totius mundi circulum cœpere prædicando verbum vitæ, quod suis oculis viderant, in tremendis vitalibusq; Sacramentis memoriam eorum qui fideliter obdormierunt, habendam edixerunt, quod adhuc firmiter atq; ad eod sine contradictione obseruat Apostolica & Catholica Ecclesia Christi & Dei, à finibus vsq; ad fines terræ, ab eo tempore vsq; in præsens, & in finem mundi vsq;.

In ser. de
ijs, qui in
fide hinc
migrat.

Augustinus. Neq; negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed hæc eis profunt, qui cum viuerent, vt hæc eis prodesse possent, meruerunt &c. Similia vide apud Epiphanium lib. 3. contra hæreses. Tertul. ad vxorem, de corona militis. Ambrosium in oratione pro Imperatore Theodosio. De excessu fratris. Item lib. 2. Epist. ad Faustum. Cyprianum lib. 1. Epist. 9. Bernard. in cant. sermo. 66.

In Enchi-
rid. ca. 110.
in q. 2. ad
Dul.

Post hanc defunctorum memoriam, vbi iam iterum Ecclesia communem viuentium salutem clementi Domino commendauit, reliquæ preces ad dignam sumendæ sacrosanctæ Eucharistiæ præparationem referuntur. Quæ pars Missæ peculiaris est præsentibus, & sacrosanctam Eucharistiam sacramentaliter, aut saltem spiritaliter sumentibus, nec in commune admodum seruit, cum nemo,

G sicut

SACRAE CAESARAE

sicut pro alio baptizari, ita nec Sacramentum sumere vtiliter possit. Participato tandem Sacramento, & cæteris ritè peractis, gratiarum actio cuncta (vt ait Augustinus) concludit.

DE COMMVNIONE CVM

Sacrificio iungenda.

Augusti. de spiritu & lite. ca. 11.
ATq; hic expedierit, cum verissimum illud & singulare Sacrificium offertur, veterem Ecclesiae morem reuocari, quo non solum sacrificans ipse, sed & Diaconi, & reliqui Ecclesiae ministri, qui diebus solennioribus velut testes tantè Sacrificij, & necessariorum ministeriorum coadiutores adhibentur, vt perceptionis corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi participes se præberent, seria Canonum sanctione iubebantur. Sed & fideles omnes pro recolenda mortis Domini, & nostræ redemptionis memoria, ad hoc Mediatoris nostri Sacrificium confluentes, sedulis exhortationibus monendi & excitandi sunt, vt prius explorati, confessi & absoluti sacrosanctæ communionis gratiam sumant, & diuinissimæ Eucharistiæ participationem, vna cum Sacerdote sedulo & deuote frequentent.

De consecratione Dist. 2. c. Peracta, & c. Relatum.

DE CAEREMONIIS ET

vsu Sacramentorum.

CAeremoniæ veteres, quæ Sacramento Baptismatis adhibentur, retineantur omnes. Exorcismus videlicet, abrenuntiatio, Professio fidei, Chrisma & alia. Pertinent enim ad efficaciam huius Sacramenti adumbrandam & significandam.

Item in caeremonijs ueteribus, quæ ab Ecclesia Catholica adhibentur Missæ, nihil mutandum videtur, sunt enim omnes ad id quod in Missa agitur, cum primis apte.

Et

MAIEST. DECLARATIO. 25

Et quod ad vsum huius Sacri attinet, debent in singulis ciuitatibus & in singulis Ecclesijs (etiam si in vna ciuitate, aut loco plures sint) quæ proprios Sacerdotes, & populi illuc conuenientis frequentiam habent, singulis diebus duæ ad minimum Missæ celebrari. Altera matutina, cui interesse possint homines, qui labore manuum rem quærunt, vt conuenientes vel communicent de Eucharistia, vel se Deo piè commendent. Altera vero celebrior, quæ canatur circa horam octauam diei antemeridianam, cui eodem modo adsint, qui vel communicare de Eucharistia, vel se Deo commendare velint. In pagis autem, singulis quibusq; Dominicis & festis diebus, singulæ Missæ ad minimum celebrentur.

Atq; vt populus ad vsum Missarum reuocetur commode, concionatores iuxta sententiam de hoc Sacro superius explicatam, populum hortari debent, vt eidem libenter intersit, cui etiam præscribendæ sunt certæ meditationes, eæq; ad singulas Missæ partes aptæ. Et ante præfationem Presbyter aut Diaconus, si huius copia sit, ostendat verum Missæ vsum, eumq; populo ex præscripto, de quo etiam conueniat, commendat, pro ratione de Sacro hoc superius explicata.

Canon item, in quo nihil mutetur, habeat etiam suam succinctam & dilucidam interpretationem, vt inde Presbyteri & functionem officij sui eo melius intelligere, & quod intelligunt, populo explicare possint.

Cæremoniæ reliquæ Sacramentorum iuxta præscriptum Agendarum veterum adhibeantur. In quas tamen si quid irrepsit, quod causam dari possit superstitioni, tollatur. Altaria, vestes Sacerdotum, vasa Ecclesiae, vexilla, item cruces, candelæ, imagines, retineantur in Ecclesia. Sed ita tamen, vt sint monumenta, nec cultus Latriæ in hoc genus transferatur, nec ad imagines & statuas superstitione concursus fiant.

Horæ item Canonicae, & illa pia Psalmodia, quam nobis Apostolus ipse commendauit, ex Ecclesijs minime

G ij tollantur.

S A C R A E C A E S A R E A E

tollantur. Et ubi sublatae sunt, restituantur, maximè vero de tempore & Dominica, & alijs vetustis & solemnioribus festis.

Quae autem de Sanctis adiecta sunt, ad ea, quae in veteri de Sanctis communi posita sunt, reuocanda, & sicubi modum excedunt corrigenda videntur.

Vigiliae item & exequiae mortuorum, de more veteris Ecclesiae celebrentur. Esset enim immanè, in Ecclesia nullam illorum memoriam retinere, quasi animae ipsorum vnà cum corporibus interierint.

Festi item dies ab Ecclesia recepti retineantur, si non omnes, tamen praecipui, Dominicae dies, Natalis Domini, Circumcisio Domini, Epiphania, Palmarum, Pascha cum duobus diebus sequentibus, Ascensio Domini, Pentecoste cum duobus diebus sequentibus, Corporis Christi. Festi item dies beatæ Mariæ virginis, & Sanctorum Apostolorum, Sancti Ioannis Baptistæ, Mariæ Magdalenaë, Stephani, Laurentij, Martini, Michaëlis, omnium Sanctorum. Et apud singulas Ecclesias eorum Sanctorum, qui ibidem singulares Patroni habentur, vt in eisdem Sanctorum festis Deum in Sanctis honoremus, nosq; ad imitationem ipsorum excitemur, & desideremus orationibus ipsorum adiuuari, & meritis associari.

Dies item rogationum ante Ascensionem Domini, & Litania in die S. Marci, & per annum aliaë consuetæ Processiones pro veteri more obseruentur, Similiter in hebdomada sancta, & circa reliqua Ecclesiae festa debitæ solennitates adhibeantur, & in vigilia Paschæ & Pentecostes aqua Baptismalis per omnes Ecclesias Parochiales solenni benedictione præparetur.

Ac cum abstinentia carniū, quæ non abominatio- nis, sed temperantiæ causa suscipitur, per se bona & ad carnem castigandam apta sit, ac etiam publica vtilitas postulet, vt certis temporibus à carnibus abstineamus, cum aliàs pecora ad assiduum carniū esum sufficere vix possint, mos & institutum veteris Ecclesie diebus ieiuniorum,
feria

MAIEST. DECLARATIO. 26

feria sexta, & sabbatho à carnibus abstinendi, retineatur. Hanc enim abstinentiam Ecclesia ex nulla superstitione suscepit, quæ à cibis quibusdam, certis temporibus abstinet, non ob vllam ciborum immundiciam (sciens omnia munda esse mundis, & nihil inquinare hominem, quod per os ingreditur) sed ad edomandam carnem, vt anima à prauis cupiditatibus, & malis motibus melius humilietur. Eamq; abstinentiam præcipuè diebus feriæ sextæ & sabbati indixit, vt homines ad cultum Deo debitum persoluendum, ad auditionem verbi Dei, & ad sacrosanctæ Eucharistiæ perceptionem (quæ olim frequentior diebus Dominicis seruabatur) hac biduana abstinentia præparati, magis idonei ac digniores accederent, & vt hac voluntaria castigatione quasi cum Christo (cuius passionis memoria his diebus potissimum à fidelibus recolitur) carnem suam crucifigerent, Consuetæ etiam Ecclesie ieiunia obseruentur, sed ita tamen ut non astringantur, quos necessitas excusat, puales sunt, qui grauioribus laboribus exhauriuntur, & peregrinantes, Item grauidæ mulieres, lactantes, pueri, senes, ægroti.

Titum 2.
Mathus.

Nec improbetur benedictio earum rerum, quæ Exorcismis & orationibus ad usum hominum præparantur, dummodo operationes, quæ inde nascuntur, non rebus ipsis, sed diuinæ uirtuti tribuantur, & caueatur, ne eadem ad ullum incantationis aut superstitionis genus transferantur.

Et quanquam cum Apostolo sentiendum est, eum qui cœlebs est, curare quæ sunt Domini &c. eoq; magis optandum multos inueniri Clericos, qui cum cœlibes sint, verè etiam contineant, tamen cum multi qui ministerij Ecclesiastici functiones tenent, iam multis in locis duxerint Vxores, quas à se dimittere nolint, super ea re generalis Concilij sententia expectetur, cum alioqui mutatio in ea re, ut nunc sunt tempora, sine graui rerum perturbatione modo fieri non possit.

1. Corin. 7.

Illud tamen negandum non est, etsi Coniugium per
G iij se

Hebræ. 13.

S A C R A E C A E S A R E A E

Matth. 13. se honorabile est, iuxta scripturam, eum tamen qui non
1. Cor. 7. ducit uxorem, & verè continet, melius facere, secundum
 scripturam.

Eadem est ratio vsus Eucharistiæ sub vtracq; specie,
 cui multi etiam assueuerunt, & ab eo auelli, sine graui re-
 rum motu, hoc tempore non possunt, Et quia Concilium
 Oecumenicum, cui omnes Imperij status se submiserunt,
 proculdubio piam & sollicitam curam adhibebit, vt in
 hoc casu conscientijs multorum, & publicæ tranquillitati
 optimè consulatur, qui vsum vtriusq; speciei ante hac rece-
 perunt, eumq; relinquere nolunt, super ea quoq; re delibe-
 rationem & sententiam Oecumenici Concilij expectent.

Hi tamen qui vtriusq; speciei vsum amplectuntur, il-
 lam inueteratam sub vna specie communicandi consuetu-
 dinem reprehendere non debent: nec alteri alteros pertur-
 bent, donec super ea re Concilium Oecumenicū decreuerit.

Et quanquàm Sacramentum Eucharistiæ sub vtracq;
 specie institutum est, non tamen sentiendum est, Christum
 in carne diuidi, contra quam scriptura diuinitus inspirata
 tradit, sed sub singulis speciebus integrum contineri.

Ac quoniam in Sacramento Eucharistiæ est verum
 Christi corpus, & verus Christi sanguis, in hoc Sacramen-
 to Christum merito adorari debere.

Item, Sacramentum Eucharistiæ semel verbo Christi
 consecratum, etiamsi asseruetur diutius, tamen Sacramen-
 tum, & corpus, & sanguinem Christi remanere, donec su-
 matur.

Quæ vero ad disciplinam Cleri & populi pertinent,
 videntur cum primis necessaria esse, ad tollenda ex Eccle-
 sijs scandala, quæ dant magnam causam horum temporum
 perturbationi, id quod res ipsa loquitur. Itaq; si quam Ec-
 clesijs vtilem Reformationem Cæsarea Maiestas procura-
 uerit, tantum abest ut quisquam sanctæ Religionis & pub-
 licæ tranquillitatis studiosus, repudiare eam uelit, ut om-
 nes etiam pro ea citius promouenda & procuranda Cæsa-
 ream Maiestatem obnixè & humillimè precari debeant.

Et

MAIEST. DECLARATIO. 27

ET nos Carolus Romanorum Imperator, &c. Reco-
 gnoscimus hanc supra positam consultationem eam
 esse, de qua in nostro & Imperij recessu, huius hic Augu-
 stæ celebrati conuentus mentio habetur. In cuius rei te-
 stimonium Sigillum nostrum Cæsareum huc appendi
 iussimus. Datum in nostra & Imperij Ciuitate Augusta
 Vindelicorum, die vltima Mensis Iunij, Anno post na-
 tum Christum, Millesimo, quingentesimo, quadragesimo
 octauo, Imperij nostri vicelimo octauo, & Regnorum no-
 strorum tricesimo tertio.

CAROLVS.

*Ad Mandatum Cæsareæ &
 Catholicæ Maiestatis pro-
 prium.*

*Sebastianus Archiepiscopus Mo-
 gunt. per Germaniam Archican-
 cellarius, &c. subst.*

*Io: Obernburger,
 subst.*

MAJESTY DECLARATION

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

ARTICLE V

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

